



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XXIX. De Parochijs & alienis Parochianis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)



TITVLVS XXIX.

De Parochiis & alienis Parochianis.

Parochialium Jurium declarationem ceptam ad præcedentem, ad hanc Rubricam prosequimur, præmissâ, tamen ipsius Parochiæ constitutione.

ARTICVLVS I.

De Parochiæ Constitutione.

SUMMARIUM.

1. Parochia etymon & gemina acceptio.
2. Propriè accepta exigit Forum Penitentiale.
3. Locum certis limitibus clausum & Populum,
4. Fere decem familiis constantem:
5. Auctoritatem Episcopalem,
6. Et Rectorem, sub nomine Sacramenta Populo ministrantem.
7. Parochia fontem Baptismalem & Cæmeterium Ordinariè:
8. Non semper aut necessariè habet:
9. Elliq; beneficium curatum.

Parochia & Parœcia, etsi spectatâ Origine & etymologiâ voces omnino diuersæ: & illa quidem à Græco Verbo *παροίχη*, quod

Præbere sive *Subministrare*: ista verò ab ejusdem linguæ Verbo *παροικίαν*, quod *Accolere* & conjunctim, sive in vicinis domibus cohabitare significat, desumptæ sint, modernò tamen usu, & Jure etiam Ecclesiastico, pro Synonimis habentur: & aliquando quidem, sed rariùs accipiuntur latè pro tota Diocesi, sive civitate & territorio, in cujus Populum & Clerum jurisdictionem spiritualem Episcopus exercet, *can. 14. & 33. Apostol. can. Si quis 4. & dist. 92.* sicut vox *Parochianus* pro *Diocelano*, *c. Nullus 3.* aliquando & plerumque strictè, & in sensu nostræ Rubricæ, pro certa & Cathedrali inferiore Ecclesia, quæ populum certis limitibus distinctum habet, & Presbyterum sive Rectorem, à quo illi Sacramenta, Verbum Divinum, aliâque spiritualia ex Officio ministrantur, Panormit. *in Rubric. n. 1. & Barbosa de Offic. Parochi cap. 1. n. 26.* Posteriori hoc sensu & propriè Parochia sive Parochialis, ut dici Ecclesia valeat, à Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. gloss. 6. à n. 34.* & aliis plura requiruntur.

Primò quidem ac præcipuè Potestas solvendi & ligandi in Penitentiali, sive interno Conscientiæ Foro: quæ non nisi in Sacerdotem cadit, *can. In novo 2. dist. 21. & c. Omnia utriusque 12. de Penit. & Remiss.* & ab eo obtinetur, qui ex necessitate sive ratione muneris, quod gerit, Sacra-

rit, Sacramenta Fidelibus ministrare: & ab his ea percepturis adiri debet, Glossa in *Clement. Dudum 2. V. Impendant, de Sepult. ubi Panormit. n. 28. & Card. de Luca Theatri V. & J. de Paroch. disc. 23. num. 8.*

3. Secundo, Locus certis & Episcopali autoritate designatis limitibus constitutus, in quo populus alicui Ecclesie deputatus degit, ut desumitur ex *can. Ecclesias, 14. q. 1. & S. Synodi Trident. Sess. 24. cap. 13. de Reformat. ibi, In locis, ubi Parochiales Ecclesia certos non habent fines &c.* quia Parochi populum regere dicuntur *c. 1. de Capell. Monach.*

4. Populum autem constituere, aliqui volunt, homines decem, propter textum *can. Unio 3. ibi, Ecclesia, quae usque ad decem habeat mancipia, super se habeat Sacerdotem, 10. q. 3. cum decem homines, secundum Glossam *fin. in can. cit. faciant Plebem: sicut decem oves faciunt gregem, l. Oves 3. pr. ff. de Abigis.* At mihi semper magis placuit Opinio aliorum: qui ad Parochiam decem, non qualescunque homines, sed Patres familias, sive totidem familias exigunt, & *can. cit. pro Mancipia. Mancipia vel Municipia,* legendum, hisque nominibus prisca lingua domos sive familias venisse, existimant cum *Marfilio de Eccles. redit. p. 1. cap. 12. n. 10. Card. de Luca cit. disc. 23. n. 13. & Barbosa cit. cap. 1. n. 20.* Quorum Opinio, sicut rationi; cum Concilium Toletanum, ex quo canon ille desumptus est, de mancipiis sive servis loqui verisimile non sit: sic etiam conformis est usui Germaniae nostrae: in cujus quarundam Dioecesium oppidis pagisque, ubi Catholici Haereticis permixti degunt, his illisque, cum decem suis sacris additas familias numerant, Parochus concedi solet,*

5. Tertio, Autoritas Episcopi, limi-

tes sive fines designantis, & populum Parochianum constituentis, *can. Nullus p. mino, 16. q. 7.* ideoque in controversiis, an Ecclesia sit Parochialis, inquiri inter alia solet, quando & cujus contentio vel autoritate talis sit constituta, *Ugolinus de Offic. Episc. cap. 53. pr. & Azor p. 1. lib. 3. cap. 12. q. 14.*

Quarto, ut Ecclesia Rectorem non solum suo nomine, ut dictum: sed etiam solus, & non cum uno vel pluribus adjuetis, Sacramenta aliaque Divina populo ministrat, *can. In apibus, 7. q. 1. can. Praecipimus, 21. q. 2. & c. Cum non ignores 15. de Prob. & dignit. quemadmodum enim una mulier duos sponfos, & unum corpus duo capita, quin monstrum sit sic etiam una Parochia, & quaevis alia Ecclesia sine monstruosa deformitate duos Rectores non admittit, *can. Sicut 4. q. 1. cit. & c. Quoniam 14. de Offic. Ordin.**

Neque obstat, quod curam tantum habere possit Ecclesia Collegata, quia tali casu cura non spectat ad canonicos singulos, sed ad omnes simul, sive totum Capitulum, personam Rectoris representans: à quo illa per unum vel etiam plures canonicos, vel alios clericos exercetur ferè, sicut aliquando Ecclesia Parochialis, alium rectorem non habentis, curam per unum vel plures clericos Episcopus administrat, *Gonzalez l. cit. n. 68. & 74.*

Præter ista ad Parochiam aliqui requirunt; ut habeat Fontem Baptismalem & Cæmeterium, sive jus Baptismalem & cætera Sacramenta (Ordine excepto) ministrandi & mortuos sepeliendi. Verùm, etsi hæc jura Parochis ordinariè competant, non tamen eam essentialiter constituunt; ideoque, licet signa sint, ex quibus in dubio Ecclesie status probatur, ex iis tamen præsentibus aut absentibus Ecclesiam Parochialem esse, vel non esse, necesse

necessario non inferitur, Gonzalez *l. cit. n. 57.* Ratio de Fonte Baptismali est; quia Ecclesia Baptismalis & Parochialis esse possunt, & aliquando sunt distinctæ, secundum Glossam in *Clement. 1. V. Mariem, de Sent. excom. & Fagnanum in c. Cum contingat. 29. de Decimis n. 29.* & potestatis Ecclesiasticæ ordinatione, imò & consuetudine introduci potest; ut filii Parochianorum unius Parochiæ in alia baptizentur, Gonzalez *ibid. n. 52.* De Cimiterio autem; quia hoc & Sepulturæ jus ex privilegio, Juri communi inserto, etiam competit Mendicantibus, *Clement. Dudam 2. §. Verum & Extravag. 2. inter comm. de Sepulturis;* aliis vero, uti & Ecclesiis atque Capellis secularibus non curatis ex consuetudine, atque etiam ex Episcopi concessione competere potest, & competit non infrequenter, *Flaminus de Resignat. Lib. 2. q. 1. n. 108.* Eadem fere ratio est aliorum Sacramentorum: quorum, præter Pœnitentiæ & Eucharistiæ, administrationem, etsi regulariter & ferè semper exercent, aliquando tamen ex accidenti non habere potest Ecclesia Parochialis, ut cum *cit. Gonzalez n. 57.* advertit Barbosa *cit. cap. 1. n. 34.*

Dubium hoc loco est, an Parochia sit beneficium Curatum. Dicitur autem beneficium Ecclesiasticum Curatum aliquando latè, prout cura includit etiam potestatem sive Jurisdictionem spiritualem Fori externi, quæ visitandò, leges & censuras ferendò, ab his absolvendò, in exerceandò aliæque morum correctionem spectantia faciendò exercetur, juxta *c. Dudam 54. §. Verum, V. Sed cum in Jure, de Electione:* quò modò acceptum beneficium curatum à Parochiali differre, & illò latius patere, ex dictis est indubitatum: aliquando verò propriè & strictè pro cura sive potestate & jurisdictione spirituali, quæ in Foro Pœnitentiæ inter-

no per Sacramentorum, Pœnitentiæ præfertim atque Eucharistiæ, administrationem ex officio exercetur, juxta dicta *n. 2.* Quò modò acceptum Beneficium Curatum cum Parochiali ferè convenire, pluribus relatis tradit *cit. Barbosa n. 47.*

ARTICULUS II.

De Juribus Parochiarum.

SUMMARIUM.

10. Talia sunt I. Collatio Baptismi,
11. Hodie fere solis Parochiæ competens.
12. II. Sacramentalis Absolutio Parochianorum,
13. Aliis clericis ex commissione Parochorum:
14. Privilegiò Apostolicò Regularibus,
15. Et certis casibus cuius Sacerdoti competens.
16. III. Dispensatio SS. Eucharistiæ,
17. Indultò Apostolicò etiam Regularibus permessa.
18. IV. Solemnizatio & Benedictio Nuptiarum.
19. V. Extrema Unctionis administratio.
20. VI. Celebratio Missæ diebus Festis in propria Parochia,
21. Minori tamen, quàm olim, rigore hodie audienda.
22. VII. Predicatio Verbi Divini & Catecheses,
23. Privilegiò Regularibus permessa.
24. VIII. Dispensatio Sacrorum cinerum, Cereorum, Palmarum &c.
25. IX. Festorum, Vigiliarum Jejuniorum &c. denuntiationes.
26. X. Jus Sepultura & Canonica portio nis.

Z. z. z

Jura Ec-

Ic. **J**ura Ecclesiis Parochialibus earumque Rectoribus competentiā, & fere spectantia ea, quæ Parochiani vel ab illis recipere & petere, aut iis pendere & præstare de Jure ordinariè tenentur, à Panormit. *ad hanc Rubr. n. 2.* Azor *p. 2. Instit. lib. 3. cap. 12. q. 4.* & Card. de Luca *Theatr. V. & J. de Paroch. disc. 24. n. 3.* varia recensentur. Præcipua sunt

Primò Fons Baptismalis; quantumvis enim validè, & in necessitate etiam licitè baptizare valeat quivis, etiam laicus ac femina, imò & paganus: dummodo formam Ecclesiæ seruet: &, quod ista, baptizandò etiam ipse intendat, *can. Ad limina, 30. q. 1. can. Si qui necessitate, 16. can. Romanus 21. dist. 4. de Conf. c. 1. de Summa Trinit. & Concil. Florent. in Decreto Eugenii post Sess. ult. §. Primum.* Ordinariè tamen & ex proprio officio Pastoralis eum conferendi potestas post Papam per se & primò competit Episcopis ac Parochis, respectu infantium suorum dicecesanorum & parochianorum ita; ut non tantum Sacerdos simplex, sed Episcopus quoque & Parochus dicecesanorum & parochianorum alienorum infantes, extra casum necessitatis, & sine commissione vel licentia proprii baptizans, graviter peccet, *Saà V. Baptismus n. 6. & Bonacina de Sacrament. dist. 2. p. 5. n. 10.* sicut & parentes, si extra talem casum proles suas, sine expressa vel saltem rationabiliter præsumpta licentia proprii, alieno Parocho vel Sacerdoti offerant baptizandas; quia Ecclesiæ Ordinationem & alienum jus violant ipsi, & aliis eadem violentibus cooperantur, *Laiman. Lib. 5. Tract. 2. cap. 7. n. 2 & Barbosa de Offic. Parochi cap. 18. n. 11.*

II. Neque obstat; quòd Religiosis Societatis JESU à Paulo III. *Constitutione*, quæ incipit *Inter cunctas*, 1545. concessa sit facultas Pœnitentiæ, Eucharistiæ & alia

Sacramenta sine alicujus præjudicio ministrandi: quæ postrema verba ne interpretentur, vi ejus privilegii Apostolici etiam Baptismi & extremæ Unctionis administratio eis concessa videri potest. Rati id quidem, si loquamur, de terris Infidelium aut etiam hæreticorum, fundatas aut Catholicas Parochias non habentibus, cum; quia id faciendò nulli afferunt præjudicium: tum verò; quia ad Ecclesias fundandas eò mittuntur, *Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 9. cap. 4. n. 5.* Non etiam, si sermo sit de terris Fidelium, aut Infidelium quidem, sed Parochias imfundatas habentibus; quia in his Baptismum & extremam Unctionem, extra casum necessitatis, sine proprii Parochi vel Episcopi licentia administrari ab ipsis non posse, certum est, cum id cederet in præjudicium Parochorum: quibus ipsa Parochiæ collatione concessa videtur potestas sui districtus, sicut Fidelibus cetera Sacramenta, & illorum prolihus Baptismum administrandi, sic etiam ipsius collatione iis, quorum parentes Fideles non sunt, ingressum in Ecclesiam appetentibus, ut tanquam securus, imò & probolus docet idem *n. 8. & Palao Tract. 19. dist. 1. p. 9. n. 3.*

Secundò & præcipuè Forum Pœnitentiæ: cui post Papam & Episcopum dicecesanum parochiani sive fideles in Parochia aliqua verum aut quasi domicilium habentes, ita subjiciuntur; ut postquam ad annos discretionis pervenerint, Parocho tanquam proprio suo Sacerdoti peccata sua, saltem semel in anno confiteri, *c. Omnis viriusque 12. de Pœnit. & Remiss. & contra Parochus ipsi Sacramentum Pœnitentiæ non tantum semel in anno, aut quando alias obligantur, ut Sylvester V. Confessor n. 14. & Atmilla V. solutio n. 27.* voluerunt: sed quoties ipsi ex justa causa petierint, & Parochus

expedire iudicabit, administrare teneatur, Azor p. 1. *Instit.* lib. 2. cap. 17. q. 10. & Bonacina l. cit. *disp.* 5. q. 7. p. 4. §. 2. n. 23. Alienus verò Parochus aut Sacerdos, quantumvis aliàs ad excipiendas pœnitentium Confessiones approbatus sit, talium parochianorum Confessiones, etiam intra propriam Parochiam fines audire, eosque absolvere sine proprii ipsorum Parochi consentu licet. imò & validè de Jure & regulariter non possit; propter defectum jurisdictionis ad Absolutionis valorem requisitæ à Concilio Florent. in *cit. Decreto* §. *Quartum* & Trident. *Sess.* 14. cap. 7. ut cum Navarro in *can. Placuit* 3. de *Penit.* *disp.* 6. à n. 47. & aliis docent *cit.* Azor p. 2. lib. 3. cap. 12. q. 10. & Laiman *cit.* lib. 5. *Tract.* 6. cap. 10. n. 1.

13. Dixi autem primò, *Sine proprii Parochi consensu*; quia ex istius commissio-
ne ipsius parochianorum Confessiones au-
diti à quolibet ab Ordinario approbato
sacerdote posse, clarè insinuat *c. Omnia*
cit. *V. Si quis autem*, dum asseritur, alie-
no peccata confiteri volenti licentiam à
proprio sacerdote postulandam. Non
opus tamen semper est istius licentiæ sive
consensu expresso, sed aliquando sufficit
tacitus: quem habet, qui, ut hodie non
infrequenter fit, propriò sciente & non
contradiciente peccata sua alieno Parocho,
aut alteri ab Ordinario approbato Sacer-
dote confitetur, Azor *cit.* q. 10. Imò et-
iam, si alteri confitendi licentiam petenti,
proprius parochus injustè deneget: & pa-
rochianus sine periculo salutis, ut v.g. Pa-
rochi concubina, aut famæ propter ju-
stum metum revelationis &c. proprio
Parocho confiteri, & licentiam ab Epi-
scopo petere non valeat, ipsum nihilomi-
nus alteri confiteri posse, *arg. can. Pla-*
cuit cit. plures non improbabiliter do-
cent cum Navarro in *can. cit.* n. 144. Syl-
vestro *V. cit.* q. 6. & Henriquez *lib. 6. cap.*

13. n. 4. Contrarium tamen, aliis DD. re-
latis, defendit Suarez *Tom. 4. de Penit.*
disp. 27. f. 4. *conclus.* 2.

Dixi secundò, *Jure communi*; quia I 4.
speciali jure, v.g. ex privilegio Mendican-
tes & alii Sacerdotes Regulares Ordinum,
cum ipsis in privilegio communicanti-
um, ab Ordinario approbati, & à suis Su-
perioribus expositi quorumcunque Fide-
lium Confessiones, non solum intra, sed
etiam extra suas Ecclesias v.g. in secula-
rium agrotantium domibus excipere
possunt, Parochorum licentiæ minimè
requisitæ; quia jurisdictionem delega-
tam à summo Pontifice, qui Ordina-
rius & generalis omnium totius Chris-
tiani Orbis fidelium Episcopus & Pastor
est, Glossa *fin.* in *c. fin. de Penit.* in 6. ac-
ceperunt editis variis Constitutionibus,
quas allegant Rodriguez *Tom. 1. Regular.*
q. 60. *art.* 4. & Donatus *Prax. Regular.*
Tom. 3. tract. 4. q. 34.

Dixi tertio, *Regulariter*; quia à DD. I 5.
excipi solent tres casus: quibus ex per-
petua Ecclesiæ Consuetudine quilibet ritè
ordinatus Sacerdos quoscunque fideles
absolvendi potestatem, in ipsa Ordina-
tione acceptam habet: scilicet Primò,
si confitens solummodo habeat peccata
venialia. Secundò, vel mortalia quidem,
sed à quibus jam semel legitime est abso-
lutus; cum enim hujusmodi peccatorum
Confessio ex nulla obligatione, sed ex
mera devotione fiat, conveniens omnino
erat, ab iis absolvendi potestatem omni-
bus concedi. Tertio, in articulo sive pe-
riculo mortis: in quo constitutum, ne
restrictæ jurisdictionis & reservationis
occasione facile pereat, à quibuscunque
peccatis & censuris absolvi à quocunque
Sacerdote in Ecclesia DEI semper potuis-
se, expressè traditur à Concilio Trident.
cit. cap. 7. *cit.* Suarez *disp.* 26. f. 4. n. 1. &
f. 5. n. 2. & Laiman *cap.* 10. n. 2.

Z z z

Tertium

16. Tertium est Dispensatio Sacramenti Eucharistiæ; hanc enim non tantum Parochi ex officio suo, ad pascendas oves suas ipsos obligante, subditis parochianis, quoties rationabiliter petunt, ministrare tenentur, Navarrus in *can. Placuit cit. n. 152. cit.* Bonacina *disp. 4. q. 9. sp. 1. n. 14.* & Barbosa *cap. 20. n. 15.* sed fideles, tempore quidem nascentis & primavò spiritu adhuc ferventis Ecclesiæ singulis diebus, *can. Episcopus 38.* junctâ Glossâ *fin. disp. 1. de Consec.* postea, crescente Fidelium numero & Charitate refrigerante, quot annis ter, scilicet in Nativitate Domini, Paschate & Pentecoste, *can. Etsi 15. can. Seculares 18. ibid. disp. 2.* hodie verò saltem semel in anno & tempore Paschali à proprio quisque Parocho, vel ex ejus commissione ab alio Sacerdote percipere ex obligatione solet, *c. Omnis cit.* et si enim ex institutione Christi & vi Ordinationis suæ Sacramentum hoc conficiendi, & ministrandi etiam, potestas Sacerdotibus omnibus competat, hanc tamen licitè non exercent: nisi ad id Ordinarium, ut Papa, Episcopus, Parochus, vel ab istorum aliquo delegatam habeant jurisdictionem; quia Sacramentorum & præsertim Eucharistiæ dispensatio proprium munus est Pastorum: & propterea non nisi ab ipsis, eorumve commissione vel licentiâ, saltem tacitâ, usurpari valet, Ugolinus *de Offic. Episc. cap. 15. §. 7. n. 1. & cit.* Suarez *disp. 72. f. 2.*

Qui verò absque ulla eorum licentiâ eam fidelibus ministraret, graviter peccaret: & si Religiosus esset, de Jure ipsò factò incurreret excommunicationem, Papæ absolutioni reservatam, *Clem. 1. de Privileg. ubi* Barbosa *n. 3.* exceptò casu extremæ necessitatis five articuli aut periculi mortis: in quo constitutum infirmum SS. Eucharistiæ Sacramentò reficere à quolibet Sacerdote &, tali absente aut

irrationabiliter nolente, etiam à Diacono posse, *ex S. Clem. Romani Lib. 8. Constit. Apostol. cap. 28.* & Concilii Niceni *can. 14.* desumunt *cit.* Suarez *conclus. 3.* & Henriquez *Lib. 8. cap. 54. n. 2.*

Dixi etiam, De Jure, intellige, Communi; quia *Clement. cit.* rigori derogatum est per privilegia Apostolica, à Nicolao V. Sixto IV. Julio II. Leone X. & Paulo III. concessa: vi quorum Religiosi Mendicantes & alii, qui cum ipsis in privilegiis communicant, Parochorum licentiâ non requisitâ, SS. Eucharistiâ omnibus Christi Fidelibus, quibus eius sumptio prohibita non est, ministrare in Ecclesiis suis possunt, exceptâ Communionem Paschali & sumptione sacri Vincti, ut explicat Suarez *Tom. 4. de Relig. Tract. 10. lib. 6. cap. 3. n. 8.* & Barbosa *de Offic. Parochi cap. 20. n. 8.* Communionem; inquam; quia istâ, juxta Ecclesiæ præscriptum, *c. Omnia utriusque cit.* in Parochia jam relictis SS. Eucharistiâ tempore etiam Paschali & ipsis Canonibus Resurrectionis Dominicæ diebus ministrare non prohibentur, ut habetur in *Compend. Privileg. S. J. V. Eucharistiæ §. 2.* & docent *cit.* Suarez *cap. 3. n. 7.* & scân. Tamburin. *Tom. 2. de Jure Abbatis disp. 5. q. 3. n. 3.* Miranda *Manual. Prelat. q. 42. art. 2. conclus. 2.* & alii contra Navarrum *Manual. cap. 21. n. 51.*

Quartum jus Parochiale est Solemnizatio & Benedictio Matrimoniorum, *Aliter 3. q. 5. c. fin. pr. & §. Sanè de Clero deß. despons. & Trident. Sess. 24. cap. 1. de Reformat.* ubi ea aliter, quam coram proprio Parocho vel alio sacerdote de ejus vel Ordinarii diocelani licentiâ, contracta irritantur, *ut Lib. 4. Tit. 3.* plenius tradetur.

Quintum, administratio extreme Unctionis; nam etiam hoc Sacramentum licet validè à quovis Sacerdote, ut colligitur ex

gitur ex Concil. Trident. Sess. 14. de Extrema Unct. cap. 3. & can. 4. & cum S. Thoma in 4. dist. 23. q. 9. & art. 2. tradunt Rodriguez Tom. 5. Regul. q. 79. art. 1. & Suarez Tom. 4. in 3. p. disp. 43. s. 1. n. 4. licet tamen id sacerdos non administrat: nisi in infirmum habeat jurisdictionem, ab Ecclesia non impeditur; ac proinde non nisi proprius illius Parochus vel ab isto delegatus sit, Sylvester 7. Unctio Extrema, q. 4. Laiman Lib. 5. tract. 8. cap. 7. n. 3. & Bonacina l. cit. disp. 7. q. Unica, p. 6. n. 4. Imò Sacerdotes Regulares saltem Exempti (probabilius etiam non-Exempti, Suarez de Consecr. disp. 22. s. 4. n. 5.) Sacramentum hoc extra calum necessitatis quod scilicet Parochus proprius abest, vel per manifestam injuriam non vult, & superior adiri nequit) administrantes, excommunicationem Papæ reservatam ipsò factò incurunt, cit. Clement. 1. de Privileg.

20. Sextum, Auditio Missæ diebus Dominicis ac Festis; sicut enim his illam per se vel alios celebrare Parochi, Trident. Sess. 23. cap. 14. de Reformat. sic Parochiani iisdem diebus illi in propria Parochia interesse tenentur, can. In Dominicis 3. & c. q. 2. & c. de Dominicis 2. hanc Rubricam Parochi alienos parochianos talibus diebus non admittere, & priusquam Missam celebrent, ad eam audientiam Ecclesiam ingressos eijcere jubentur. Imò Extravag. 2. inter Com. de Treuga Religiosis Mendicantibus sub excommunicatione prohibetur; ne prædicent, populum ad Missam diebus Festis in propria Parochia audiendam non teneri.

21. Verùm huic antiquorum Canonum rigori cum tempore derogatum est, partim per generale aut saltem plurimum Provinciarum Consuetudinem, præsertim in civitatibus: in quibus fideles diebus Festis Missæ, in qua volunt, Eccle-

sia, vel Oratorio solent, & licetè possunt interesse, Sylvester 7. Missa 2. q. 5. & Gutierrez Canon. 2. lib. 1. cap. 30. n. 21. partim Constitutione Leonis X. à Barboisa de Offic. Paroch. cap. 11. n. 15. relata: quæ daclatur, Fideles in Mendicantium (& aliorum Regularium, cum ipsis in privilegiis communicantium) Ecclesiis absque contemptu proprii Parochi Missam Dominicis Festisque diebus audientes Ecclesiæ præcepto satisfacere. Non obscure his favet S. Synodus Tridentina: quæ, dum Sess. 22. in decreto de Observand. in Celebr. Missæ dicit, populum monendum (non cogendum) ut ad suas Parochias diebus Dominicis &c. accedat, satis insinuat, ad has accedendi præceptum hodie non dari: quòd à Cardinal. Interpp. declaratum, testes sunt Zerola Prax. Episc. 7. Parochia 57. Missa §. 6. & Hieron. Roderic. Compend. 2. Regular. Resol. 25. n. 5.

Quod si tamen, parochianis Missas majorem partem alibi, & præsertim in Sacellis vel Oratoriis privatis & in Ecclesiis à Sede Apostolica non privilegiatis audientibus, Ecclesiæ Parochiales deferrentur, Episcopi esset, populum ad suæ Parochiæ frequentationem commovere, juxta Trid. l. cit. & hanc etiam aliis, sed mitioribus modis & sine censurarum a-liarumque penarum comminatione, promoveri. Azor p. 1. Instit. lib. 7. cap. 5. q. 6.

Septimum est verbi Divini Prædicatio: quam in sua quemque Parochia, si commodè potest, audire teneri, & populum ad hoc admonendum, patet ex Trident. Sess. 24. cap. 4. de Reformat. Parochos ad eam diebus Dominicis Festisque solennibus per se vel alios idoneos verbi Divini præcones faciendam obligari, disertè habetur ejusdem S. Synodi decretis Reformato-riis Sess. 5. cap. 2. Sess. 24. cap. 7. & Sess. 25. cap. 2. ubi Episcopi in

pi in Parochos eam negligentes, quantumvis alijs ab eorum jurisdictione exempti sint, si moniti suo muneri defuerint, per censuras Ecclesiasticas alijsve penas, suo arbitrio infligendas, procedere jubentur.

23. Quamvis autem verbi Divini predicandi munus unum ex Parochialibus, ita tamen Parochis caterisque animarum pastoribus proprium non est; ut non etiam competat Religiosis: qui cum superiorum suorum licentiâ & petitiâ Benedictione Episcopi verbum Divinum predicare possunt in proprijs suorum Ordinum Ecclesijs: & aliqui extra illas in omnibus locis & plateis publicis, juxta *Extravag. 1. inter comm. de Privileg. & Constitutionem Pauli III. in favorem Societatis JESU editam 1545.* Imò, consentiente Parochò, & Episcopò facultatem tribuente in ipsis etiam Ecclesijs Parochialibus, *Extravag. cit. & Clement. Dudum 2. §. In Ecclesijs, de Sepult.* Ex specialibus etiam privilegijs ejusdem Societatis Religiosis habere licet Catecheses, quibus pueris alijsque rudibus Christianæ Fidei rudimenta explicantur: ad quas singulis saltem Dominicis festisque diebus per se aut alios habendas Parochi graviter obligantur: & si hujus sui officij negligentes sint, censuris alijsque pœnis Ecclesiasticis compelli ab Episcopis possunt, secundum Trident, *sess. 24. cap. 4. cit.*

24. Octavum, sunt varij actus officio Parochiali annexi; ut in iis clerici seculares inferiores, etiam beneficiati se nequeant immiscere: ut sunt Benedictio & dispensatio cereorum in Festo Purificationis B. Mariæ Virg. Cinerum primâ die Quadragesimæ & Palmarum Dominicæ Festum Paschatis antecedente: Benedictio Fontis Baptifimalis, celebrationes Missæ in Cœna Domini & Sabbatho

sancto: Delationes SS. Sacramenti & Processiones per Parochiam, Barboia de *Officio Parochi cap. 12. à n. 2.* Cujusmodi tamen actus aliquos ex privilegio exercere valent Regulares.

Nonum, Denuntiationes Feltorum & Vigiliarum, in quibus ex præcepto Ecclesiæ, statuto diocesanò vel loci Consuetudine est jejunandum: Publicatio & explicatio Jubilæorum atque Indulgentiarum, jubente Episcopo, inter Missarum solennia faciendâ, *cit. Barboia cap. 16. à n. 1.* uti & Denuntiationes matrimoniorum, faciendâ modò *Lib. 4. Tit. 3.* declarandò.

Decimò demum, Parochis competunt Jura Sepultura, & ratione illius electæ alibi, præstantæ Canonice positionis, declarata ad præcedentem: & ad proximè sequentem Rubricam declarantur Jura Decimarum, Primitiarum & Oblationum.

ARTICULUS III.

De earundem Limitibus & Limitaneorum Causarum Judicio.

SUMMARIUM.

27. *Limites diœcesum solâ Apostolice auctoritate constituuntur.*
28. *Parochiarum etiam Episcopi auctoritate constituuntur.*
29. *Atque etiam mutantur.*
30. *Per viam solius Prescriptionis.*
31. *(Nisi incerti sint) non mutantur.*
32. *Etiamsi ea hominum memoriam excedat.*
33. *Lites super iisdem limitibus non Ecclesiasticae sunt.*
34. *Speiatiò Jure.*

35. Et Ratione.
 36. *Vi ullius prescriptionis non competunt iudici Seculari:*
 37. *Etiamsi huius cognitio Decimalium,*
 38. *Et Juris Patronatus questionum competeret:*
 39. *Nisi super limitibus illis mota questio de mero facto,*
 40. *Et reus conventus laicus sit.*

lon, ab aliis Regibus ac Principibus alias erectas, alii perhibeant; quia id quidem aliquando ab istis, sed semper interveniente Sedis Apostolicæ autoritate: alios autem tam Episcopatus quam Archiepiscopatus, ab hac sola sine illis conditos aut mutatos, testis est, qui eadem refert Tholosan, *Syntag. Lib. 15. cap. 12. n. 4. & 5.*

Eâdem, quâ constituti sunt, auctoritate diocesum ac Parochiarum limites mutari posse, desumitur ex *can. 1. dist. 10. & c. Sicut unire 8. de Excess. Pralat. & cum Hostiensis in c. Cùm contingat 12. de Foro compet. n. 11. Panormit. ibid. n. 18. tradunt Hieronymus à Monte de Finibus regund. cap. 4. n. 11. & Barbosa p. 5. Tit. 1. cit.*

An mutari etiam valeant præscriptione, dubium & istius ratio est; quod præscribi valeant jura Episcopalia & Parochialia, v.g. visitandi, decimas vel Oblationes percipiendi in prædiis vel Ecclesiis, sitis intra fines alterius Diocesis vel Parochiæ: & ipsa etiam prædia limitanea aliæque bona, in quibus sunt fines, tam Diocesum quam Parochiarum, *c. 1. c. Ad aures 6. & c. Audita 15. de Præscript. & clarè satis de ipsis etiam finibus id habeatur c. Quia Indicante 9. Rubr. cit. Sed, etsi hæc de illis, & finibus etiam dubiis nemo facile neget, ipsos tamen illarum fines sive limites præscriptioni obnoxios non esse, ex communi sensu tradunt Panormit. in c. Super eo 4. n. 6. Balbus de Præscript. p. 6. p. 1. n. 8. Hieron. à Monte l. cit. cap. 107. n. 2. & cit. Barbosa n. 10. Ratio est; quia Præscriptio vim suam omnem debet legibus Civilibus & sacris Canonibus, quibus introducta est vel approbata: ideoque locus ei non est in rebus, respectu quarum ipsi Leges aut sacri Canones resistent, *l. ubi lex 24. ff. de Usur.**

27. Sicut Diocesum sive Episcopatum, sic etiam Parochiarum limites seu fines publicâ, eaque Ecclesiasticâ autoritate sunt constituti. Illarum quidem sive Diocesum quarundam jam ab Apostolis & S. Clemente, *can. Urbes 1. & c. dist. 80. & can. Provincia junctâ Glosâ V. eodem, dist. 99. aliarum vero ab aliis S. Petri successoribus, Barbosa de Offic. Episc. p. 5. tit. 1. cap. 7. n. 2. Illarum vero sive Parochiarum primum à Dionysio Papa, qui Parochias vel ipse dividit, *can. Ecclesias, 13. q. 1. & c. Pastoralis 9. de his quæ à Prælat. vel saltem jam factam ab Evaristo Prædecessore suo, sed Valeriani persecutione sublatam aut confusam earum divisionem restituit, ut in c. cit. notat Gonzalez n. 1.**

28. Deinde vero ab aliis summis Pontificibus, atque etiam ab Episcopis, novas Parochias erigentibus, dividendis, unientibusque in propriis suis diocesibus.

Neque his adversatur; quod Sedes Episcopales Argentinensem & Constantinensem à Dagoberto institutas, Beatus Rhenanus *Lib. 2. Rer. German. Bremensem & alias à Carolo M. fundatas, Kranzius Lib. 2. cap. 14. & 15. Ecclesias Cathedralis in Metropolitanas mutatas ab Ilacio Angelo in Constitut. ejus Imp. Lib. 1. Jur. Orient. Tit. de Metropolitâ: Diceses & Basilicas Polonorum à Miesca sive Mieszao I. Rege Christiano distinctas & dotatas, Cromerus Lib. 2. de Reb. Po-*

29.

30.

de Usucap. Panormit. in c. *Causam* 7. de *Præscript.* n. 3. ejusmodi autem finium præscriptioni clarè resistunt sacri Canones, can. *Quicumque* 4. Sc. 16. q. 3. & *Super eo cit.* & non obscurè etiam leges Civiles, l. *Agros* 3. ibi, *Cajulibee spatii temporis Præscriptione cessante*, G. de *Fund. limitroph.* ut textum hunc intelligit *cir.* Balbus *V. Amplia.* Cujus ulterior ratio est partim; ne dioecesium ac parochiarum limites & confines, auctoritate publica & ob publicam utilitatem constituti, facillè confundantur, malè & incommodè publicè, quod secum traherent lites & jurgia ex alienorum usurpatione facillè & frequenter excitanda: partim verò; quòd legum & sacrorum Canonum conditores in terminis sive limitibus, præter jus publicum agnovissent quid sacrum, Gonzalez in c. *Ex literis* 3. de *Probât.* n. 6. Sacræ autem & Religiosæ res præscribi nequeant, §. *Sed aliquando* 1. *Instit. de Usucap. & l. Alienationem* 9. ff. de *Usurp. & Usucap.* eamque ob causam, sicut dioecesium ac parochiarum, sic etiam Regnorum, Ducatum, Comitatum fines præscriptione mutari posse, Baldus aliique negent cum Panormit. in c. *cit. in fine*, ubi tamen in his consuetudine contrarium observari notat.

31. Dixi autem, *Certos*, hoc est, quòs legitimâ auctoritate constitutos per instrumenta, libros & monumenta antiqua aliæve idoneas probationes indubitata fide constat, c. *Super eo cit.* quia; si de finibus ita constitutis non constaret, ei, qui in possessione est, præscriptionem prodesse, desumitur ex can. *Voluimus*, 16. q. 4. & c. *Quia indicante* 9. de *Præscript.* & ibi cum Glossa *V. Quadraginta*, notat Felinus n. 5. & Panormit. in c. *Super eo cit.* n. 3. quia eo casu propriè non præscribuntur fines, Barbosa in c. *cit.* n. 4.

neque possessor esse præsumitur rei alienæ usurpator ac perturbator publicæ quietis, sed rei dominium habere; et hoc fit in incerto, Vivianus in c. *cit.*

Etiam fines certos tempore facti immemoriali præscribi posse, voluit Barbosa *cir. V. Limita*, cum Franc. Curio *Consl.* 56. ex ratione; quòd præscriptionis prohibitio non afficiat immemoriam; cum ista habeat vim privilegii e. *Super quibusdam* 26. pr. *V. Præscript.* de *V. S.* Verùm, etsi hoc concedi possit, quando præscriptio immemorialis allegatur in vim probationis privilegii aliquando obtenti, ut cum eodem Barbosa & aliis DD. tradit Barbosa *Ulysses*, *clausula* 88. n. 4. non tamen procedit de aliis præscriptionibus immemorialibus & qualem in proposita limitum Parochiarum materia per generalia verba c. *Super eo cit.* excludi suadet ratio allata, & docent Felinus in c. *Quia cit. in fine* & Panormit. in c. *Super eo cit.* n. 1. & Barbosa *ibi* n. 3.

Pro responsione ad rationem dubitandi adhibenda est distinctio, inter fines; hi enim dupliciter considerari possunt: aliquando quidem tanquam pars soli, ut prædium sive fundus ad aliquem, v.g. ejus cultorem, spectans; aliquando verò, quatenus sunt termini & limites Provinciarum, Dioecesium vel Parochiarum finientes & ab aliis distinguentes: quorum priori modò dumtaxat acceptos fines præscriptioni obnoxios esse facile conceditur, & probat ratio dubitandi. Ut præcedit sicut Ecclesia vel prædium intra Dioecem vel Parochiam fines situm & ex isto provenientes decimæ, sic etiam partis solis limitanei in eoque sitæ Ecclesiæ prædii decimæ, & c. proprietatis, & visitandi, decimæ primitias, oblationes percipiendi iura, sicut per alias, sic etiam per præscriptionem viam ab uno in alterum, transferri possunt.

possint, Glossa in *can. Quicumque cit. V. Provinciam*, Zabarell. & Felinus in *c. Quia indicante cit. n. 5.*

33. Aliud dubium & non ita pridem inter Regiam cæterasque Seculares & Ecclesiasticas Curias magnis utriusque partis studiis agitata, & fortassis necdum definita controversia fuit de cognitione quæstionis finium Dioecesanorum & præsertim Parochialium: quàm perinde ut eam, quæ de Regnorum, Ducatum, Comitatum limitibus movetur, Curia Seculari competere, ex triplici ratione aliqui contendebant.

Et imprimis quidem huic illam adstruebant ex ipso Jure communi; quòd quæstio illa sit merè temporalis; cum illis tota sit de factò divisionis Dioecesanæ ac Parochiarum, istarumque ad plura vel pauciora oppida, pagos, prædia & fundos; ultra vel intra flumina, montes, sylvas, agros &c. verbò ad majus vel minus terræ spatium extensione vel restrictione; quæ illis seu quæstio plus spiritualitatis non habet, quàm ea, quæ est de divisione, extensione, restrictione Regnorum, Ducatum, Comitatum: de quibus motas controversias merè temporales & judicio seculari obnoxias esse, res est Juris omnino explorati.

Deinde ex præscriptione immemoriali, ejusmodi cognitionis usu continuo tanto tempore, cujus initii memoria non extat, utique perfectà, *arg. l. In summa 2. §. 8. ff. de Aqua pluvia arc. & æquivalente privilegio Apostolico, V. Præterea cit. §. 1. Hoc Jure 3. §. 4. ff. de Aqua quotid. §. est.* quòd ejusmodi cognitionem judicialem acquiri posse, in *c. Decernimus 2. de Judic. cum Glossa V. Praesumamus 2. de Judic. cum Glossa V. Praesumamus*, docent Panormit. n. 5. De vius n. 6. & alii DD. passim.

Demum ex Jure & ratione speciali;

quòd Regiæ cæterisque Curia Secularibus ei subordinatis speciali Jure competat cognitio causarum Decimarum & Juris Patronatùs; quibus causas sive quæstiones limitum, præsertim Parochialium, accensendas contendebant; quòd prædictæ quæstiones sint inter se connexæ; quia sunt de rebus connexis, scilicet limitibus Parochialibus, connexionem habentibus imprimis cum Jure Patronatùs; cum patroni sit, præsentare clericum ad Parochiam sive curam animarum intra certos limites exercendâ: deinde cum Decimis, quas percipiendi jus unum ex Parochialibus est, & ad omnia prædia intra Parochiæ limites sira se extendit, *c. fin. hâc Rubr. c. Cum sint 18. c. Cum convingat 29. Et. de Decimis*, connexorum autem idem sit judicium, *arg. c. Translato 3. de Constitut. c. Præterea 5. de Offic. deleg. §. 1. Quid ergo 3. §. 8. ff. de Contr. tutel. act. ita; ut, cujus est de illorum uno, etiam de altero cognoscere sit, arg. c. 1. de Causa poss. §. propr. §. 1. Nulli 10. C. de Judiciis.* Ego tamen, inlytò Collegiò Juridicò concordibus calculis suffragante, cum ea quæstio moveretur, & nunc etiam

Censeo primò, causarum seu quæstionù de limitibus, tam Parochialibus quàm Dioecesanis, motarum cognitionem, spectatò Jure, soli Ecclesiastico judici competere: quod plerique DD. & Interpp. cum Holtiensis, Zabarella & Ant. de Butrio in *c. Super eo cit.* supponere videntur.

34. Movebar imprimis variis textibus Juris; sic enim controversia de extensione jurisdictionis ad fideles, inter Antigonum & Optantiù Episcopos orta, à Concilio Carthaginensi jam anno 748. definita *can. 12. §. c. 1. de Pactis*: & causa limitù duarum præbendù confinium, *c. Ex literis 3. de Probat. inter Cistrentem Episcopum,*

A a a a

scopum,

scopum, vel potius Decanum, ut *inc. cit.* Gonzalez n. 1. ostendit & Archidiaconum exorta, Lucii Papæ III. iudicio terminata est. Idem liquet ex *c. 1. c. Sumper eo q. hâc Rubr. & c. Quia 2. de Relig. domib.* quibus aliisque sanctionibus Ecclesiasticis favent antiquæ Leges Romanæ, secundum quas de terminis motis, finibusque regundis, quod termini sancti inviolatique haberentur, Fratres Arvales, qui Sacerdotes erant, cognovisse, existimat Cuiacius *Lib. 10. Observat. cap. 34. & Lib. 11. cap. 5.* apud *cir. Gonzalez n. 14.* Idem confirmat Praxis Curiarum Archi- & Episcopaliū, à quibus ejusmodi causas desiniri, & per Appellationem ad Sedem Apostolicam non raro devolvi, docent decisiones Rotæ Romanæ apud Barbofam *de Offic. Episc. p. & Tit. 1. cap. & n. 7. & de Offic. Paroch. cap. 1. n. 18.* & Card. de Luca *Theatr. V. & I. de Paroch. disc. 39.* allegatæ.

35. Deinde; quia de Diocesium & Parochiarum finibus statuere ac disponere Ecclesiastica est potestatis, ut colligitur Primò ex eo; quod Dioceses ipsæ & Parochiæ earumque limites ac fines constituti sint Ecclesiastica auctoritate, *can. 1. & c. dist. 80. can. 1. junctâ Glosâ V. Provincia dist. 99. can. Ecclesias, 13. q. 1. c. Pastoralis 9. de Ia, qua à Prelat. & Extravag. Sedes Apostolica inter com. de Offic. deleg. & c.* licet aliquando Archi- & Episcopales Sedes à Regibus erectæ perhibeantur à Tholosano, id tamen interveniente auctoritate Apostolica factum, idem moneat *Syntag. Lib. 15. cap. 12. n. 4.* Secundò; quod, iustis causis suadentibus aut exigentibus, eadem auctoritate facienda sit olim factæ divisionis mutatio per Parochiarum unionem, novamque divisionem, dismembrationem &c. per textus *can. Et temporis 50. & c. 16. q. 1. c. Exposuisti 33. de*

Præb. & dignit. c. Sicut unire cit. Clement. fin. & c. fin. de Reb. Ecclesi. dist. in 6. Extravag. cit. & Trident. Sess. 21. cap. 4. de Reformat. Tertio; quod eorum fines non distinguantur secundum terminos domini temporalis; sed plerumque una Diocesis, uti etiam quædamque Parochia, ultra fines unius domini temporalis in aliud, & aliquando ad plura extendantur, *Glosâ in Clement. Ne Romani 2. V. Diocesis, de Elect. & c. Hieron. à Monte cap. 13. n. 3.* Quarto; quod, si Regna aliæque domini temporalia mutari contingat, non hoc ipsò etiam Provinciarum, Diocesium & Parochiarum fines sint mutandi, *can. 1. dist. 80. ne Dei Ecclesiæ per discordes Principum damna patiantur, contra can. 1. dist. 9. & can. Hac quippe 10. in fin. 3. q. 6. Barbofa cit. cap. 7. n. 11.* Quintò; quod de ejusmodi finibus motæ controversiæ decidendæ sint secundum sacros Canones, *can. 1. & c. dist. 80. can. Placuit, 7. q. 1. can. Ecclesias, 13. q. 1. can. Plures, 16. q. 1. c. Ex literis, c. Exposuisti & c. Super eo cit.* Quomodo ergo ex quo capite de Jure secularis fore sit iudicium Diocesanorum aut Parochialium finium regundorum? præsertim cum Cathedralis & ipsæ etiam Parochiales & aliæque Ecclesiæ in territorio duntaxat, non etiam De territorio sint conjunctæ secularis potestatis, ut cum Bartolo *in l. Omnes 9. ff. de I. & I. ex l. 2. in fine C. de Summa Trinit. delumunt Patrum, in c. Inter alia 6. de Immunit. n. 29. Roeland. à Valle Lib. 2. Consil. 24. n. 9. Theschus Practic. V. Ecclesia, conclus. 1. p. & 10.*

Demum rationes; quia causa finium seu limitum Parochialium est de re spirituali & Ecclesiastica, scilicet de extensione vel restrictione primariò quidem & principaliter Pastoralis curæ animarum seu par-

jurisdictionis fori Conscientiæ interni & administrationis Sacramentorum aliorumque spiritualium: secundario autem & accessorie juris decimas, primitias, oblationes &c. percipiendi: quorum priora per se & simpliciter spiritualia, posteriora autem spiritualibus sunt annexa. De causis autem rerum spiritualium & spiritualibus annexarum, tanquam spiritualibus & Ecclesiasticis, de Jure solus iudex Ecclesiasticus cognoscit, c. *Decernimus* 2. c. *Quantum* 3. de *Judiciis* c. *Tuam* 3. de *Ord. cognit.* c. *Si iudex* 12. ibi, *Quia de re spirituali & Ecclesiastica est, de Sent. excom. in 6. ubi Interpp. & palam ceteri DD.*

36. Censio secundo, ejusmodi causarum cognitionem à Curia seu iudice seculari nullâ quanticumque, etiam hominum memoriam excedentis temporis præscriptione acquiri posse; quòd quasi possessionis jurisdictionis spiritualis & Ecclesiasticæ, quam ejusmodi causarum cognitio exposcit, capax de Jure non sit, ut ex *cc. cit.* & c. *Causam* 7. de *Præscript.* & communi *TT.* & utriusque juris *DD.* sensu docent *Balbus de Præscript. p. 5. pr. p. 1. q. 10. in fine, Menoch. Recup. remed. 15. n. 435. Petr. Barbosa in l. Titia 34. ff. Solutio matr. n. 22. & Felician. Oliva de Foro Eccles. p. 1. q. 8. n. 4. incapax autem possessionis vel quasi, incapax etiam sit præscriptionis, c. *Ex litera* cit. in *fine* & l. *Sine Possessione* 25. ff. de *Usurp. & Usucap.* eique consona *Reg. 3. in 6.**

37. Censio tertio, etiamsi Curia seculari Decimalium & juris Patronatûs causarum cognitio Jure speciali competeret, non tamen hoc ipsò ei competere cognitionem quæstionum, super limitibus Parochialibus motarum. Ratio est; quia quæstiones istæ ab illis sunt diversæ, ejusque naturæ; ut potius illæ Ecclesia-

sticum, quàm hæc Seculare forum debeant sequi; quia in quæstionibus de limitibus Parochialibus controversia primariò & principaliter est de Pastoralis curæ Animarum, sive de spiritualis & ad animarum salutem ordinati & per Sacramentorum aliorumque Divinorum administrationem exercendi Officii Parochialis ad plures vel pauciores fideles extensione vel restrictione: cujusmodi curam & Officium per se & simpliciter spirituale esse, præter alios rectè advertunt *Garcias de Benef. p. 1. cap. 2. num. 7. Suarez Tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 24. num. 1. & 2. & Laiman Lib. 4. tract. 4. cap. 1. num. 2.* & in laicum cadere vi præscriptionis etiam immemorialis, imò & privilegii Apostolici ex Papalis potestatis plenitudine indulti non posse; cum ad curam & officium Parochiale spectans v.g. administratio Sacramenti Pœnitentiæ, & celebratio sacrificii Missæ, ex institutione Divina pendeant ab ordine Sacerdotali, ut à Concilio Lateranensi c. 1. de *Summa Trinit.* relato, Florentino in *Decreto Eugenii & Tridentino Sess. 14. can. 10. & cap. 6. Sess. 22. cap. 1. & 4.* est definitum: secundariò verò & accessorie in iisdem quæstionibus limitum controversia est de extensione & restrictione jurium decimas, primitias & alios proventus Parochiales percipiendi, hoc ipsò; quòd in beneficio Ecclesiastico principale sit officium, sive ministerium spirituale; cui tanquam fundamento & radici decimas &c. percipiendi jus est annexum; beneficium enim propter officium datur, c. *fn. de Rescript. in 6.* Contrà verò in quæstionibus Decimalibus iis est de solo jure decimales fructus, ex his vel illis prædiis aut fundis provenientes, percipiendi: quod jus, præterquam quòd curæ & officio spirituali solum annexum illique accessorium & separabile sit, etiam in laicum ca-

38. cum cadere vi privilegii Apostolici potest. In quæstionibus autem Juris Patronatus lis est vel de jure præsentandi vel de honore sive præcedendi prærogativa: de onere defendendi Ecclesiam; ne ejus bona dilapidentur: de pensione reservata in fundatione & alimentorum præstatione, patrono inopi competentibus, *can. Pia 26. can. Quicumque 30. can. Filiis 31. Sc. 16. q. 7. Sc. Nobis 25. de Jure patronat.* quæ ex generali & Juri communi inserto privilegio in laicum cadere omnia possunt: & posteriora insuper merè temporalia sunt, ut ostendit *cit. Suarez cap. 38. n. 3.* prius verò sive præsentandi jus non ex se, sed solummodo ratione alterius, cui antecedenter annexum est: & ad quod, tanquam medium & præparatorium ad suum finem, ex sua institutione ordinatur, aliquid participat spiritualitatis, ut colligitur ex *c. Quando 3. de Judiciis Sc. De jure 16. de Jure Patronat. Gonzalez in c. Quando cit. n. 8.* Cùm ergo non dignius ad minus dignum: sed hoc ad illud, *arg. c. Quod in dubiis 3. de Consec. Eccles.* & non principale ad accessorium, & finis ad media: sed hæc ad principale & ad finem trahantur, *Reg. Accessorium 139. ff. Sc. 42. in 6. ex eo,* quòd de Decimalibus aut Juris-Patronatus causis cognoscere ad aliquem jure speciali pertineat, non rectè inferitur, ad ipsum etiam pertinere cognitionem quæstionum, motarum de limitibus Parochiarum: sed spectatò naturali rerum ordine potius de illis cognitio competet judici, cujus est de limitibus Parochialibus pronuntiare.

39. Censeo quartò, etsi hæc ita sint, cùm de limitibus Parochialibus intentatur Petitorium, & lis seu quæstio est de jure, *vg. an ii legitime,* hoc est, secundùm sacros Canones constituti, vel cujus Parochiæ Rectori certi districtus

vel ædium incolis Sacramenta ceteraque Divina ministrandi obligatio incumbat, aut vicissim ab iis decimas, primitias aliaque jura & proventus Parochiales percipiendi jus competat: aliter tamen res se habere, cùm super iisdem limitibus tentatur Possessorium, aut aliis de mero factò contentio est, *vg. an, quando,* quâ autoritate Parochiarum divisio facta: quousque earum limites extenti: an, quando certi districtus vel ædium incolæ in hac vel illa Parochia perciperent Sacramenta, obtulerint primitias &c. de hujusmodi enim quæstionibus cognoscere semper quidè Ecclesiasticus, aliquando tamen etiam secularis iudex potest, juxta distinctionem traditam *Lih. 2. tit. 10. n. 7.*

Et quidem, si litigantium uterque vel saltem reus conventus clericus aut in ecclesia sit, de iis cognitionem soli Ecclesiastico judici competere, extra controversiam est; cùm actor sequatur forum rei, *c. Cùm sit generale 8. de Foro compet. clericus autem & Ecclesia conveniri de Jure debeant in foro & coram solo giudice Ecclesiastico, tali casu jurisdictionem fundatam habente in ipsa rei conventi persona, can. Placuit Sc. 11. q. 1. c. Si diligenti 12. de Foro compet. Sc. Saculares 2. eadem Rubric. n. 6.* Si vero litigantium uterque, vel saltem reus conventus laicus sit, altera distinctio est opus; vel enim possessorium admixtam habet quæstionem Juris: ut justitatus sit titulus, sicut in possessorio adipsam fere semper contingit: vel ejusmodi quæstionem admixtam non habet & controversia est de mero factò *vg. administrationis, præstationis decimarum, primitiarum: vel quò possessio acquisita turbata, amissa sit?* Si prius, cognitio ad judicem Ecclesiasticum solum pertinet. Si posterius, competet etiam Laico, ut *cit. Tit. 10. Sc. n. 17. est explicatum.*